

DISSERTATIONIS
DE
**SACERDOTE
CHEMICO,**
PARS POSTERIOR.

Quam

AUFULG. SUMMI NUMINIS GRAT.

ET

Conf. Amp. ORD. Phil. in illustri ad Aur. Fem. Athenens.

PRÆSIDE

VIRO Amplissimo atque Celeberrimo

**D. N. PETRO ADRIANO
G A D D,**

H. T. RECTORE MAGNIFICO.

Chem. PROF. Reg. & Ordin. Rei Planc. DIRECT. Finland.
nec non Reg. Acad. Scient. Holm. MEMBRO,

PRO GRADU

Eruditorum Examine Submittit

ADOLPH. FRIED. STENFELDT,

V. D. M. VIBURGENSIS.

HORIS POST MERID. CONV. DIE X. JUNII

IN AUDITORIO MAJORI. ANNO MDCCLXIX.

A B O Æ Impressit J. C. FRENCKELL.

Oeconomie Commissarien

Ob

Erono Länsmannen öfwer Rautalambi och Pielävesi
Districter
Wälbetrodde

Herr THOMAS
STENFELDT,

Min Huldaste Fader.

Nå utan årkänsla nyttja oräkneliga godhets prof/
det wore at liäna den aldrea etaksammaste män-
niska. Eder ömhet om mig Huldaste Fader
har ifrån mitt första inträde i werlden / gådt ut der-
på at min lefnad måtte blifwa det allwänna gags-
nande / Eder angenäm / och mig sielf loctofam denna
omsorg för mig / uphör icke heller hos Eder så länge
af den högftas nåd eder wandrings tid warar.

Uptagen då detta ringa wedermåle af min årkänsla med lika benägenhet som I min Fader bidragit til dess framgiffwande. Förnöisamheten och ett gladt hjerta, försötme alla eder mätta ålder åtsfdhån-
de beswårligheter. Edert beknimer och Edra omsorger åtsfdhe all trefnad och wälsignelse; Ja waren beständigt så sälla och lyckeliga som jag det önskar / under framhårdan med barnslig wördnad.

Minne Huldaste Föräldrars

Ödmjuk / led'igste Son

A. F. STENFELDT.



§. V.

Postulat jam ordinis, quem nobis antea Part. Prior. hujus Diss. proposuimus ratio, ut ab *Exegetica* Theologia, ceu sublimiori, ad alteram illam Orthodoxiæ conservatricem, transeamus; ostensuri, quæ ad Sacerdotem, in hanc scientiæ partem, incumbentem, ex Chemia reddundet utilitas. Sed quoniam omnia, quæ ad scopum pertinent, in apertum adducere nimis foret molestum; quibusdam solummodo reflexionibus, hinc inde petitis, spartam Ornabimus nostram.

§. VI.

Quod in *Polemicis*, imprimis eruditorum vexaverit ingenia, dogma fuit de miraculis, centies recoctum, Etenim historicorum si percurramus annales statim patet, alios omnium miraculorum veritatem penitus denegasse, immo & impugnasse; alios vero, veris falsa admiscuisse, & miraculorum, ultra modum cumulasse, exempla. Sunt horum, præsertim, ex numero, qui sedem *Pontificis Romani*, inde a primis incunabilis ejus, ad præsentem usque memoriam stabilivere, & etjamnum stabiliunt. Ad hunc errorem amplectendum hi eo sunt procliviores, quo certiora illis videntur, immo &, ad confirmandam Pontifici: religionis veritatem aptiora hinc illata argumenta. Et hæc forsitan est ratio, cur indies ferme nova, excogitent cujuscunque futuri deliria, eaque

hominibus obtrudunt qui iudicii sunt expertes tanquam miracula. Quod monstrum, Monachorum fraude procreatum, tanta indies cepit incrementa; illis ut enumerandis, ne ejus sufficerent vires, qui hocce tantum pensi haberet absolvendum. Pauca saltem afferamus, ex quibus, quid de ceteris erit judicandum, constabit. Huic itaque Pseudomiraculorum gyro, inscribuntur, omnes quæ extant de *funeribus fulgentibus* Monachorum fabulæ; ea spe excogitatæ, ut mortuis, ad gazam Pontificis ditandam destinatis, hac arte album sanctitatis titulum, conciliarent. Hanc Romanensium astutiam, in causas fuisse scimus cur IGNATIUS LOJOLA, auctor ordinis *Jesuitarum*, (vel ut exposur *Rev. & b. quidam Patriæ Episcopus a Jesu abire docentium*, (a) alios ut taceamus, sanctorum in numerum fuerit elatus Quo vero jure; haud difficile erit pervestigatu, si vel paulisper perpendamus ipsum factum, quod, ut *Chemicis* cotissimum est, *phosphoro liquido* effici potest Porro huc referas, istud Romanensium delirium, quando exinde, quod cadavera mortuorum quorundam non putrescant, (id quod Romæ insigne est miraculum) ad vitæ antea sanctitatem inferunt elenchum. Etenim utpote anguis in herba, sic in hac illatione, crede mihi, pestiferum latet venenum, maximaque sese occultat astutia. Scilicet teste Nierembergio (b) & comprobante chemica experientia, *Terræ Acelcedemæ*, quæ non est nisi terra calcis pulverulenta, hæc est vis, ut per corpus sparsa idem in suo esse conservet, Quo pensitato, quam lubricum sit sancti-

sanctitatis hinc petere argumentum, vel Davus videbit. Idem etiam valet de *igne Ramanensium Sacro*, per pyrophorum excitato. Prout nec aliam mereri credas, fidem aut expositionem comenta eorum, de *statuis lapideis*, sanguinem exsudantibus, nec non de portentis, quæ per sanguinem *Januarii, Venetiis* quotannis eduntur; sunt namque, enumerata phænomena compositione Chemica artificiali, & sic nil sunt minus quam super naturalia. Huic iudicio nostro, uberiores ut conciliemus evidentiam, paucis observasse juvabit, quod non omnia mirabilia, statim sint miracula, ratio quamvis eorum, primo lateat intuitu, Svade enim contrarium, & non potes quin simul concedas, quod omnibus, quas mechanicorum excogitaverit cohors, artibus, Miraculi simul respondeat notio; Exempli causa, quod musca ferrea RAMI & (γ) ARCHYTÆ columba lignea volitent (δ) quod ALBERTIM. statua loquatur (ϵ) & Boërii serpentes ænei sibilent, &c. Sequeretur vero hinc quemvis artificem, inde ab Apelle ad futorem usque, miraculorum esse fabricatorem; & sic tot forent miracula, quot sint artificia. Nec facile pernegaverim, histrionum gesta in hocce Iusu primitias sibi vindicare, quo absurdus nil fingi posse, quivis sanus affirmabit.

(α) b Gezel. in *Casib. Conscient.* (β) VALLERII *mirer. Ord. II. clas. I. §. 10. p. 16.* (γ) FAVOR: apud GELLUM. & PETR. RAMI *scol. mathem. Lib. II. p. 65.* (δ) Majol. *Dier. Can. L. I. colloqu p. 315.* (ϵ) SCHOT. *Phyf. curios. Lib. II. Cap. 6. p. 223.*

§. VII.

Nec tantummodo in repellendis Romano Cath. figmentis, *Chemia*, quid valeat, ostendit; verum quoque aptissima supeditat arma ad retrudenda vibrata eorum tela, qui veritatem miraculorum, quæ tradit sacra S. admirandam in dubium trahere, analyfinque eorum, per principia rationis detegere conantur. Hujus futuris sunt dogmata ad *naturalismum* immo & *Atheismum* educenda & ab eruditis passim castigata; utpote imprimis *Spinozæ*, atque *Tolandæ*; in quibus της διδασκαλιας υγι:⊙ vindices, sub melle venenum, viperamque sub rosis, esse velatam contestari non dubitant. Taceo, quod fuerit Joh. Lockii, Hermani von der Hardt, pluriumque ex recentioribus, de miraculis dogma; Ad ipsam vero rem ut propius accedam, exempla thesin illustratura erunt afferenda. Sic quando sacra Scriptura innuit, *Sodomam* igne atque sulphure a cælis plente, deperditam fuisse, hi de hocce miraculo, mere naturali illis viso, ad nutum des esprit forts blaterant; eandemque inflant tibi, ac TACITUS, qui (a) licet fundamenta vacilent adfert, rationem hujus facti, *tonitruum fulmineo* adscribit. Sed quamvis omnia sub lunaria corpora, magna abundant ignis copia, Et infra tellurem pariter ac in nubibus, plurimæ defint particulæ sulphuræ atque inflamabiles; Licet etjam toto globo nostro teraquæo ignis sit immistus; hoc tamen non obstat quin præsens eventum, utpote maximum prodigium naturæ vires post se longe relinquat. Etenim per principia constat *Physico-Chemices*,

mica, tonitrum, minime potuisse, nisi supernaturalis accessisset virtus ejusmodi momentaneam, & a deo late sese extentendentem, efficere destructionem. Et si vel DEUS in hoc phænomeno patrando, causas adhibuisset secundas, svtasque naturæ vires; ideo tamen ex miraculi dignitate quidquam hæc decessit. Hoc namque posito, etjam ponendum erit, quod & viribus, naturæ, novas suppeditarit vires agendi, & illas extra ordinem adhibuerit naturæ. Unde sequitur, quod profus alium produxerint effectum, causæ hæc secundæ, ac earum alias tulerit dispositio. Effectus vero, quorum ratio non continetur in viribus naturæ ordinarijs vere sunt miracula (β) Eadem fere est ratio, miraculi quo uxor LOTH. in statuam salis imutabatur; nec ulla arte sagacitateve potest probari hunc ipsum effectum, ex rerum nexu vel legibus naturæ ortum duxisse, Id quod de Lazaro ex mortuis in vitam revocato, erit cogitandum. (γ) Sed multo difficilior est quæstio de vi *Piscine ad Bethesdam*, panaceam exhibentis cujuscunque morborum generis. Sunt teste BENGELIO (δ) multi, qui hunc effectum, quia κατὰ φύσιν contigit, insecutum naturaliter fuisse, non dubitant. Docet vero Analysis Chemica, docent etjam Theologorum maximi, in hac narratione insigne miraculum comprehendere. (ε) Quod imprimis evincitur inde quia quoties ægrotus in flumen descendebat, toties angelus Domini aquas movebat; ut remedium fierent, supernaturali modo, ægrotis, salutare: Quo observato remnis amovetur difficultas. Quemadmodum etjam
apri-

apprime est notissimum, quantum fabulosa antiquitas Divinam patefact onem amuletur; ita magna cautione hic opus est, ne Divinis cum humanis collatis, misera inde pululet confusio. idcirco nos non pigebit adponere verbora Celeber: *Mosheimi*; quæ rem ulterius erunt declaratura. Sic vero ille: *Comentatorum plurimi, quando in eventus illos prodigiosos, libror. sacror. incidunt præclare rem sese gessisse opinantur, si nihil eorum, quæ cum his, in gentium scriptoribus congruere videntur, prætermiserint. Servatori modo prorsus admirabili procreato, APOLLONIUS ille, quem ex DEo quodam natum, PHILOSTRATUS fingit, jungitur. Si placet, MINERVA, ex cerebello JOVIS proficiens, hujus comes erit. Vocem e cælis, cum sacro ritu Dominus ablueretur, auditam; minas in PAULUM, cum iter DAMASCHUM faceret, divinitus vibratas, Ioni quidam aut naturales, aut fraudis pleni, sive DELPHIS, sive DODONIS, sive in HERCULIS antro percepti illustrant. Cras forsitan, si magister quidam velit, ANANIAS & SAPHIRA, PETRO Auctore, horrendo adfecti supplicio, cum ASCULAPIO, ALHSQUE, quos de cælo tactos POËTÆ narrant, & ELIAS cum ICARO, aut Phætoni comparati prodibunt. Aliis hac industria probetur, mihi vehementer displicet Graviter fero, eas quorum minime dubia est & veritas & auctoritas, cum obscurorum quorundam hominum vanis componi. Pretium certe sacrorum, hac ratione, passim diminuitur, quando argumenta præstantiæ eorum, pari, cum fabellis veterum populorum gradu, collocantur. (Æ)*

(-) *Lib. V. Hist. cfr. Plin Lib 9. Ep. 31. & FAVOR, apud GELLIUM. Noct. Att. L. XIV. Cap. 1. (s) Nox vero mirabilia ut contendit PLIN. L. 9. Ep. 26. cfr. BAUM. Phil. rec. P. II. lap. 6. §. 170. (γ) Vide BAUMEIST. L. cit. §. 171. (δ) *Gnom. N. G. ad Job. V. (-) Alg. Hun. in coment. & BRFNTIUS, in Exeg. ad Job. 5. (z) MOSH. de interp. Sacrar. Lit. p. 256.**

§. VIII.

Quibus auxiliis Sacerdoti in *Theologia morali* succurrit Chemia, vel inde patet, quod, quantum officia hic præcepta, injungant cultoribus DEi agnitionis & reverentiæ, tantum etjam Chemia adferat adjumenti, in hoc puncto; quatenus inserviat, tam ad contingentiam, vastitatem, nexum, & perfectionem rerum creaturarum cognoscendam, quam ad æstimandam, inde quæ creatori inest eminentiam. Nec facile quis mihi persuadebit, aliquem Chemiæ studiosum, adeo celeri præcipitantia, ac ejus ignarum, ad horridum superpositionis abyssum abreptum iri. Adhuc, quæ ejus sunt partes, immo & vires in propria corporis sanitate conservanda, utpote in morali *Theologia* præcepta, nullus spero ignorabit, qui vel obscuram, de libris *Diætericis* sibi comparavit ideam. Tota quippe quanta *Dieta* seu de sanitate doctrina, principiis innitur Chemicis; utpote principiis ignoratis, media etjam sanitatis conservandæ, scientiam fugiunt nostram, ita neglecta Chemia & contempta, vix aliquid præclari, Sacerdotem, in culcandis officiis reflexis præstaturum esse; putaverim, quin potius desultorie rem ageret

§. IX.

Officiorum, quæ aliis præstanda erunt, alia sunt *absoluta*, *hypothetica* alia. Illa nunc sicco transmigramus pede, hypotheticis propius ad scopum quo tendimus, accedentibus, quoniam sacerdotem non tantum ut hominem, verum potius muneris quo fungitur respectu, consideramus. Utpote vero hæc, officium Sacerdotis pro objecto habent, indeque oriuntur; ita præcipuum, eorum erit, maximeque ponderosum, quod observandum præscribit, *Pastoralis Theologia* sacerdoti, *maniacos* & *Demoniacos* visitaturo. Videlicet, pernecessarium est illi cognitu, morbone naturali laborent ejusmodi ægroti, anve furor eorum, ut sibi persuadet vulgus, ex mali proveniat genii obsessione; destitutus namque hac explorandi vi, ægre scit; quid consilii capiendum, quibusque remediis potissime utendum in re adeo dubia immo & periculi plena. Verum huic consequendo *doximasias* dono eo magis interserviat Chemia, quo sit certius, illam hujus superstrui fundamentis. Non nunc litigare velimus cum illis, qui de omni obsessionis veræ existentia dubitant; cujus erroris *Hobbesius* & *Becker* taxantur, Innuimus tantum difficillimum esse cognitu, sit ne vera an falsa obsessio; existente enim maxima utriusque convenientia, summa requiritur cautio, & non fucata circumstantiarum ponderatio, si alias tute ambulare & de judicii certitudine convinci velis. Hinc MICH. FREUDIUS cujus verba maxime comendamus ita, *sunt hic, medici pariter ac Theologi partes, necessaria.*
Medi-

Medicus de morbi judicet causas, & ubi desinit ille, ibi insipiat Theologus. Scil. expers hujusmodi explorandi virtutis si erit Sacerdos, non adeo facile cognoscebit, ad ejus ne forum, æger pertineat an vero ad alienum; Et sic periculo facile exponitur adhibendi medicinam quæ ad malum propulsandum minime faceret. Etenim naturalia velle mala spiritualibus sanare remedijs, existentibus alijs medijs exordinatione Divina proprijs, foret idem sibi persuadere ac fex vulgi, quæ magi cujusdam verbis, tumultuarie prolatis tantum adscribunt virtutis, quasi ex illis ipsis, maximus inlequeretur effectus. Sed quoniam ut jam antea monuerimus, Chemia est mater immo DEa totius *Patheologiae, Pharmaciae, & medicinae legalis* (α) ita sacerdotis esse, hinc patet, ut Chemiam sibi reddat familiarem, ne hac ignorata, in re tam ardua, pedem offendat, & fallum, pro vero habere, cogatur necessario.

(α) *Ut constat ex BOERHAV. Chem. sfr. GAUBII orat inaug. Chem. & GOTSCH. VALL. Chem. Phys. P. I. Cap. I.*

§. X.

Porro quoniam, dirigente ita Summo Numine, SACERDOTUM ordo tertium in comitijs occupat locum, participes factus legum ferendarum; ita hujus quoque erit, rerum *Metallicarum* sancire leges. Hæc vero sanctio irrita maneret, civitatique fueret noxia, *Chemicis* nisi superstrueretur fundamentis. Omitto jam quanta se illis comendat utilitate Chemia, qui *indicia minerarum* detegunt, & sic suos in Chemia pro-

gressus *Patriæ* cum utilitate palam faciunt; (α) taceo quoque hanc ipsam inservire, ad magiam spuriam a vera dignoscendam: nec multis ostendere volo quam arctus sit hujus nexus cum *Agricultura*, *Chemia Technica Domestica*, & ceteris; namque, rudem oportet esse illum, qui ignoraret, quanta sit horum omnium jucunditas, utilitasque si non ignorentur. Et sic *Thesi* probata, ejus *antipalon* paucis examinamus. Largimur quidem quod primi ecclesiæ *plantatores* tanta non gaudebant *Chemie Theoreticæ* notitia, ac nostrum ævum; sed fuerat illis vicissim eo perspicacior notitia *Chemie naturæ*. Concedimus quoque *Constitutiones sacras* expresse non præscribere Sacerdotibus *Chemiam* addiscendam, sed quid inde? conferamus enim leges cum legibus & statim patebit, has omnimodam commendare eruditionem, & ejusmodi præscribere *statuta* quibus, ignoratis *Chemie* principiis ægre geritur mos. (β) Paucis, si *Sacerdos* non esset capax notionum universalium, quas explicat *Chemia Theoretica*, nec ut civis nec ut Sacerdos, felicem posset agere vitam.

(α) Vide Kongl. Br af den 27 Aug. 1723, om præmier för mineral strefvs upståfter. (β) cfr Kongl. Br den 26 Julii 1748. Præste Priv. 1723. §. 9. collat. cum Diss. quæ Aboæ sub præf. Celeb. Dni Præf. mei, variis auctoribus prodire, De fund. Agr. Chem.

CORRIGENDA.

P. I. p. 7. lin. 29. l. insertis. p. 2. lin. 14. lege imperviis. P. II. pag. 6. lin. 19. lege esprits. lin. 24. exstat desint, l. adsint. lin. 27. lege eventus. p. 7. lin. 29. lege omnis loco remnis. p. 8. lin. 5. exstat verborum, lege verba.

